



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Quæ impotentia impedimentum sit Matrimonij contrahendi. §. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

perpetuam. Nam esto in dicto cap. *Fraternitatis* videatur periculum mortis exigi, inquit enim Textus: *Violentia inferatur non solummodo levis, sed ita gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur.* Ergo cum ex graui morbo hoc periculum mortis eueniet, si timeret grauis morbus, etiam mors timeri debet, & consequenter impotentia, quæ uinci non potest absque graui morbi periculo perpetua censenda est. Sic Henric. de matr. lib. 12. c. 7. n. 6. Vega. 2. sum. cap. 34. casu 111. Alij uero sustinent solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte nequit tolli esse perpetuam, nam quæ cum periculo mortis tollitur superflua persona, quæ erat impotens dici non potest perpetua, siquidem ipso facto probatum est durante uitâ tolli posse. Sic Innocent. in dicto cap. *Fraternitatis* à num. 1. & seqq. Ioann. Andreas ibi num. 16. Anton. de Butrio num. 22. & 13. Anchar. n. 16. q. 2. Cardinal. num. 5. Præposit. n. 18. & 20. & alij relati à Sanch. lib. 7. disp. 9. num. 16.

4 Communis tamen sententia, & amplectenda asserit solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte corporali, aut illius graui periculo uinci non potest esse perpetuam, quia periculum graue mortis æquiuale. Quæ uero absque periculo grauis morbi superari non potest, perpetua censenda est, si morbus ille mortis periculum inducat, secus uero si solam grauem molestiam, & dolorem: sic Glossa communiter recepta in dicto cap. *Fraternitatis*, uerbo corporali, Gregor. Lopez, leg. 2. in 8. part. 4. uerbo *sin peligo*. Matien. lib. 3. recopilat. tit. 1. Rub. gloss. 1. num. 97. Sanch. pluribus relatis lib. 7. disp. 93. num. 18. Gutier. de matr. capite 112. numero 28. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 11. num. 1.

5 Ex his inferitur, si iudicio Medicorum impedimentum remoueri possit absque graui uiræ periculo per opus humanum, & licitum, tamen si patiens impedimentum renuat curationem, imò nec teneatur illam sustinere non est censendum illud impedimentum perpetuum, quia impedimenti perpetuas non pendet ex uoluntate patientis impedimentum, neque ex eo quod tollatur, uel non tollatur, sed ex eo quod spectata rei natura tolli, uel non tolli possit absque uitæ periculo, ut docuit Paludan. in 4. d. 3. q. 2. ar. 2. concl. 2. num. 3. D. Antonio, 3. part. 1. cap. 12. §. 1. Dominie. Sotus in 4. d. 34. §. unica articulo 2. uers. *sed nis*, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 93. num. 15. Quando autem Medici dubij sunt, an ex medicamentis apponendis ad remouendam impotentiam periculum mortis subest, censendum est subesse, ut rectè cum Petro de Ledefm. aduertit Sanch. d. num. 15. Gutier. de matr. cap. 112. num. 27.

6 Supereff tamen triplex grauis questio. Prima, An femina nupta, cuius arctitudini ex Medicorum iudicio subueniri potest absque graui uitæ periculo, ut apra uiri congressui reddatur obligata sit scissuram pati? In qua questione distinguendum est, an femina præ cæteris arcta sit, ob cuius arctitudinem à uiro nequit cognosci, an uero ex parte sua nullam præ cæteris arctitudinem habeat: Si præ cæteris arcta sit, tenentur plures relati à Sanch. lib. 7. disp. 93. num. 31. obligatam esse scissuram pati, quoties absque graui periculo mortis iudicatur fieri posse. Nam cum illud matrimonium validum sit, & ex matrimonio obligatio ad copulam oritur. Hæc autem esse non possit absque scissione, uidetur obligata scissuram sustinere. Quando uero femina nullam specialem arctitudinem habet præter uirginium claustrum, cenet Petrus de Ledefm. tract. de matr. quest. 58. ar. 2. circa finem. non esse feminam obligatam pati scissuram, aut illam curationem subire, tamen absque graui incommodo eam sustinere possit; quia per ipsam non fiat quominus debitum reddat. Non igitur ipsi, sed uiro penes quem est defectus sunt medicamenta adhibenda. Sanch. uero lib. 7. disputat. 93. num. 32. & 34. plures referens sentit feminam siue præ cæteris arcta sit, siue non, obligatam esse scissuram pati, quando absque periculo grauis inhumitatis fieri potest, tamen non absque graui molestia, & dolore, hic enim uidetur sustinendus, ut obligationi coniugali fiat satis.

7 Ceterum in hac re dicendum primò est aduersus Bald. lib. 7. cap. 62. feminæ licitum esse scissuram pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest, quia licitum est naturam inuare ad actum honestum, ut omnes Doctores supponunt de hac questione tractantes, cum inquirent, an obligata sit.

8 Secundo dico, femina, quæ nullam in se specialem arctitudinem habet ut à uiro cognoscatur præter uirginium pudorem, obligata non est scissuram sustinere, tamen absque illo incommodo eam sustinere possit. ut docuit Petr. de Ledefm. superius relatus, & Gaspar Hurtado disp. 22. difficult. 7. Et Basili. Ponce, lib. 7. de impediment. caput. 62. à num. 2. Moueor, quia coniux in matrimonio corpus suum alteri coniugi tradit ad usum coniugalem, prout à natura destinatum est, at natura non destinauit apertionem claustru uirginalis in ordine ad coniugalem usum fieri debere alio medio quam uiri pudendo, quinimo omnem alium modum ut potè extraordinarium natura abhorret, ergo non tenetur femina illo vit.

Tertiò dico, si femina præ cæteris arcta sit, & conscia huius arctitudinis contrahat cum eo qui illius est ignarus, probabilius reputo obligatam esse scissuram pati, si absque graui suæ salutis detrimento eam sustinere possit, in quo communi sententia assentior. Ducor quia sic contrahens uirum decipit non manifestans ei illam difficultatem, quam ipse præsumere non tenebatur. Ergo ratione illius deceptionis obligata est ea medicamenta sustinere, quæ uirginium claustrum disponant æquè aptum congressui, ac est claustrum cæterarum feminarum. Fateor tamen hanc obligationem raro contingere posse, cum uix possit euenire, quod femina sciat se præ cæteris arctam esse, eiusque arctitudinem à uiro superari non posse, idèoque cenfeo raro uel nunquam obligandam esse ad eam scissuram sustinendam, cum ipsa per matrimonium uiro corpus suum tradidit apertionem, non Chirurgus. Et forte ob hanc causam nunquam iura statuerunt in litibus subortis de impotentia uirginium claustrum aliquo artificio reuocari, sed solum uirginaliam habitationem concedunt. Signum ergo est nullam huius medijs esse obligationem.

Illud uero certissimum est etiam in doctrina Sanch. lib. 7. disputat. 93. num. 29. feminam obligatam non esse hanc scissuram à uiro Medicis inconlultis pati, sed illo tentante eam præstare ligno, ferro, digitis, alijue instrumento posse ad eius consortio fugere, quousque huius uolentia securitatem faciat. Quippe uiro datum non est portam uirginem alio instrumento, quam sui pudendo releuare, maxime cum ex hac relaxatione non leue damnum salutis femina pati possit, periculùmque sit, ut factâ relaxatione adhuc committent uiro non possit.

Secunda questio, An femina, quæ ob eius arctitudinem non potuit à uiro cognosci, idèoque ab eius consortio separata sit, si experientia teste probatum fuerit ab alio cognitam fuisset, debeat priori uiro reddi, qui nec frigiditate, nec maleficio laborabat? Asserunt Innocent. in dicto cap. *Fraternitatis*, à num. 1. & seqq. Et ibi Hostiens. num. 7. Alexand. de Neuo asserens communem num. 17. quia eo facto uidetur sufficienter comprobari potuisse à priori uiro illam arctitudinem superari, ac proinde validum fuisse inter illos coniugium.

Sed rectius Abbas in d. cap. *Fraternitatis*, n. 2. & 3. Et ibi Glossa uerbo *similis*, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disputat. 93. num. 13. & seqq. Gutier. cap. 112. num. 26. censent non ex eo quod à secundo uiro cognita sit sumi concludentem præsumptionem, quod potuerit à priori cognosci, sed attendè examinandum est, & inpicendum, an secundus uir sit priori omnino similis ætate, robore, ac membro uirili. Nam si in aliquo ex his dissimilis existat non est priori uiro reddenda. Secus uero, si dissimilitudo probata non fuerit, nam eo casu præsumitur esse priori similis, & consequenter potuisse à priori cognosci: ut traditur in d. cap. *Fraternitatis*, ibi, *Sententiam diuortij per errorem licet probabilem nouimus esse retractam, cum patens ex postfacto quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili committetur.*

Tertia questio, An censetur impotentia perpetua ad matrimonium, si femina sciret concipere non posse absque manifesto periculo uitæ uel sui, uel prolis? Ratio dubij est, quia stante eo periculo & feminæ est impossibilis copula, cum non possit ei absque peccato vacare. Ergo nequit obligationem ad copulam subire, quæ est matrimonij essentia. Sic docuit Henric. alius relatus lib. 12. de matr. cap. 7. num. 8. sed rectius Sanch. alios plures referens lib. 7. disputat. 93. num. 27. & 28. Gutier. c. 112. num. 17. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 96. affirmant eam impotentiam perpetuam non esse, quia solum est impotentia pro tempore, quo femina apta est conceptioni, cum ætate euenire possit tempus sterilitatis conuincitur manifestè eam impotentiam perpetuam non esse. Non enim requiritur ad matrimonium, ut coniuges se obligent ad reddendum debitum quouis tempore. Satis enim est si se obligent ad illud reddendum, cum legitimum impedimentum abest, alius contrahens morbo affectus, quo à debiti redditione excusatur diceretur impotentiam ad contrahendum perpetuam habuisse.

§. II.

Quæ impotentia impedimentum sit matrimonij contrahendi?

1. Impotentia perpetua, & absoluta uas femininum penetrandi, uideatque semen effundendi de se generationi aptum, est impedimentum dirimens. Secus si hac impotentia temporaria sit.
2. Aliquibus placet esse necessarium, quod femina feminare ualeat, sed non approbatur.
3. Steriles opinantur possunt matrimonium contrahere.
4. Senes decrepiti capaces sunt matrimonij contrahendi, si natura uel arte calere possint.
5. Senes adeo exhausti, ut iudicio Medicorum iuari non possint.

- ad copulam habendam aptus non est matrimonio contrahendo, et si plures Doctores contrarium sentiant.
- 6 Infirmitas cuius salus desperata est, capax est matrimonij contrahendi.
- 7 Hoc matrimonium habet vim legitimandi prolem susceptam.
- 8 Si impotentia non sit perpetua, sed temporalis, impedimentum non praestat matrimonio contrahendo.
- 9 Si ea impotentia temporalis diu duratura est, illius conscientia peccat mortaliter, si alteri coniugi suam impotentiam non manifestet.
- 10 Impotentia siue temporalis, siue absoluta a superueniens matrimonio contracto nequit illud dissolvere.
- 11 Si superueniat impotentia verum semen effundendi, non impedit debiti petitionem, & redditionem, secus si impotentia sit seminandi extra vas.
- 12 Si impotentia superueniens non sit copulae, sed generationis non est obligata mulier reddere, tamen si possit reddere, & parere.

Certa sententia est ferè omnium Doctorum, impotentiam perpetuam, & absolutam vas foemineum penetrandi, ibidemque semen effundendi de se generationi aptam, esse impedimentum dirimens matrimonij contrahendi. Secus vero si hæc impotentia temporalis sit, aut matrimonio superueniat. Constat ex cap. 2. & cap. Fraternalitatis, & aliis de Frigiditate, & maleficiat. Et ex leg. regia 17. tit. 2. par. 4. & leg. 6. tit. 8. eadem par. Ratio prioris partis est manifesta. Nam cum per matrimonium coniuges fiant una caro, hoc praestare nequeunt altero impotente coire. Quapropter si vir vas foemineum penetrare nequeat, tamen si illius inquit semen verum effundat, censeri debet impotens ad matrimonium, quia illa seminatio per se non sufficit, vt coniuges fiant una caro, tamen si aliquando per accidens virtute naturali matris aliqua pars feminis intrumittatur. Præterea illa seminatatio per se illicita est, quia est seminatatio extra vas, ergo potentia ad se seminandum impotentia censenda est, cum non sit potentia ad actum honestum, & licitum. Si autem vir potens sit vas foemineum penetrare, impotens tamen effundere semen per se generationi aptum, nequaquam matrimonio contrahendo aptus est, quia nequit se obligare ad copulam; ex qua una caro fiat, iuxta illud Genes. 2. vbi habetur Eunt duo in carne una. Ob quam causam Sixtus V. anno 1587. definiuit Eunuchos vtroque testiculo carentes iure naturæ incapaces esse matrimonij contrahendi, nam esto valeant vas foemineum penetrare, non tamen possunt emittere semen, quod per se generationi aptum sit, vt iacius innumerose referens docet Sanch. lib. 7. disp. 92. a. num. 7. & seqq. Gutierr. lib. 2. canon. 99. cap. 16. num. 18. & de matr. cap. 12. num. 7. Coninch. disp. 1. dub. 7. num. 76. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 1. n. 1. Galpar Hurtado disp. 22. difficult. 3. num. 7. & difficult. 5. per textum.

Quod si vir potens sit vas foemineum penetrare, & intra illud semen ex se generationi aptum effundere, quamvis aliqui Doctores, quorum meminit Sanch. statim referendus, quibus Galpar Hurtado. d. difficult. 5. in fine adhæret, in super requirant, vt femina seminare valeat, vt matrimonium inter ipsos contractum teneat; longè verius est eam potentiam necessariam non esse, vt tradit Sanch. d. illa disp. 92. num. 9. seminandi Gutierr. lib. 1. canon. 99. cap. 16. n. 16. & de matr. c. 12. num. 8. Nam esto semen mulieris generationi apte conferat, simpliciter tamen necessarium non est, & saltem negari non potest illi esse dubium: at in casu subio pro matrimonij valore ferenda est sententia iuxta Textum in cap. su. de sentent. & re iudicata.

Ex his deducitur quid dicendum sit de matrimonio senum, & steriliu. Et quidem steriles non posse verum matrimonium contrahere docuit Iason conf. 115. num. 1. volum. 1. Felini in cap. cum sit. num. 15. vers. demum scire, de foro competentis, eo quod impotentes sint copulae generationi aptæ, ad quam tanquam ad finem primarium matrimonium referetur. Sed contrarium tanquam omnino certum tenendum est cum D. Thoma passim ab omnibus recepto in 4. dist. 34. q. unica. art. 2. Barbosa leg. 1. par. 1. num. 98. ff. soluto matr. Sanch. lib. 7. disp. 92. a. n. 24. Gutierr. de matr. c. 12. num. 16. quia steriles valent semen effundere vna caro efficiuntur, nam esto ex illo foemine generatio nequeat euenire, id non est feminis natura, quæ eiusdem rationis est cum natura aliorum feminum generationem inferentium, sed ex speciali qualitate, & temperamento subsistit, ac proinde matrimonij valori obstat non potest. Neque refert quod finis primarius matrimonij frustretur per accidens, quia non est spectandum, quod per accidens contingit, sed quod per se ex illa copula euenire potest. Adde matrimonij finem non esse tantum prolis generationem, sed concupiscentia remedium per copulam de se generationi sufficientem, qui finis in sterilibus obtinetur.

Quoad senes decrepitos atque impotentes esse ad matrimonium contrahendum asseruit Portius in pr. insti. de nuptijs,

colum. 4. ad finem in vers. in sine glossa. Et dubius mansit Anton Gomez leg. 9. Tauri. num. 57. in fine. Et probabile censuit Henricus lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 3. in comment. lit. X. eo quod inepti videantur ad copulam generationi aptam. Sed longè verius est, & omnino tenendum capaces esse matrimonij contrahendi, si natura, vel arte calere possint ad coitum, quia eo ipso fieri possunt vna caro, ex qua generatio per se sequi possit. Vix enim reperitur vllus adeo senex, qui aliquando natura, vel saltem medicinarum arte non possit ad copulam excitari, vt tradit Glossa in cap. nuptiarum. 27. q. 1. verbo in quibusdam Tiraquel plures referens in leg. 6. comm. bial. gloss. 1. par. 6. numer. 19. idèque Ecclesia nullos senes à matrimonio contrahendo reicit. Atque ita docet S. Thom. in 4. d. 3. q. unica. art. 2. ad 3. Couarruu. 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 2. num. 10. Mantica de com. et. vltim. volunt. lib. 1. tit. 13. Duenas in reg. 350. limit. 1. Rodrig. 1. ag. regul. 9. 13. art. 1. Gutierr. cap. 12. de matr. num. 13. Sanch. aliis relatis disput. 92. num. 19. & seqq. In foeminis autem certissimum esse debet ob senectutem non esse censendas impotentes ad matrimonium, siquidem earum frigiditas non impedit feminis vitulis receptionem, vt docuit Syluest. verbo Matrimonium. 8. q. 16. dicto 4. Barbosa in leg. 1. par. 1. n. 97. ff. soluto matr. Anton. Cuchus, lib. 5. insti. maiorat. tit. 12. num. 262. Sanch. dicta disputat. 92. num. 22. Gutierr. d. cap. 12. num. 14.

Quinimo senem adeo exhaustum, vt iudicio Medicorum iuuari non possit ad copulam habendam, graues Doctores, nempe Tabiena verbo impedimentum. impedim. 2. q. 3. num. 4. Nauar. lib. 4. consil. tit. de spon. lib. cons. 39. num. 15. & 18. aliàs tit. de spon. at. impub. conc. 4. num. 15. & 18. Man. Rodrig. in sum. 1. tom. cap. 23. §. concl. 5. num. 5. Vega 2. tom. sum. cap. 34. casu 61. quibus fauent Anton. de Butrio in cap. 2. num. 5. de frigiditate, & maleficiat. Iason in leg. sed est quaestum. num. 1. ff. de liberis, & posthumis. Roland à Valle de iure dotis. q. 103. num. 17. t. 9. tract. diuersor. in nouis. censent capaces esse matrimonij contrahendi, quia saltem habitum potentiam intra vas feminandi, tamen si actu & per accidens ob senectutem ea priuatus sit. Sed rectius contrarium probat Abbas in c. 2. de Frigiditate, & maleficiat. num. 5. Et ibi Innocent. num. unico. Ancharran. num. 1. Hostiens. in sine. Præposit. num. 4. Alexand. de Neuo num. 4. Glossa in leg. sed est quaestum. 6. verbo nec atas. ff. de liberis, & posthumis. Et additio Gloss. in leg. san. cimus. verbo homines. Cod. de Nuptijs. Greg. Lopez leg. 1. tit. 8. par. 4. in sine. Matien. Rubric. 1. lib. 5. recopilat. gloss. 1. num. 193. Anton. Cuchus lib. 5. insti. maiorat. tit. 12. num. 257. Gutierr. canon. 99. lib. 1. cap. 16. num. 13. & de matr. cap. 12. numero 15. Barbosa leg. 1. par. 1. num. 94. ff. soluto matr. Sanch. lib. 7. disp. 92. num. 23. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 1. in sine. Benim huiusmodi seni copula est impossibilis, ergo nequit ad illam obligari. Ego impotens est ad matrimonium contrahendum, de cuius essentia est obligatio natua ad copulam. Nec refert, an hæc impotentia à natura, an ex accidenti proueniat, ex quoque enim capite oriatur reddit subiectum incapax matrimonij contrahendi, vt potè quod ad copulam obligari non potest.

Hinc oritur grauis difficultas, An infirmus cuius salus desperata est capax sit matrimonij contrahendi. Videtur namque incapax esse, siquidem in eo status est constitutus; vt nulla medicinarum arte iuuari possit ad copulam habendam. Habet igitur impotentiam perpetuam, ac proinde subire non potest obligationem à matrimonio requisitam. Contrarium tamen vbi, & consuetudine Ecclesiæ probatum est, & communi Doctorum sententiâ teste Couarruu. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 2. num. 10. Sanch. lib. 7. disp. 105. num. 3. Basil. Ponce lib. 7. cap. 6. §. n. 7. Gutierr. cap. 18. n. 1. Coninch. disp. 3. dub. 7. num. 88. Paulo Layman. tract. 10. par. 4. cap. 1. num. 6. Quia moribundus est, ob vehementiam morbi impeditus sit à copula habenda, at illius potentiam integram habet. Quod si vi morbi potentia destructa esset, quod nunquam præsumitur, eo casu incapax esset matrimonij contrahendi.

Quinimo hoc matrimonium habet vim legitimandi prolem antea susceptam, vt aduersus Bildum in leg. eam quam num. 27. Cod. de fideicommiss. asseruit Tiraquel. in leg. si unquam. verbo suscepterit. num. 73. Cod. de reuocand. donationib. Couarruu. 4. decret. 2. p. cap. 8. §. 2. num. 10. Anton. Cuchus lib. 5. insti. maiorat. tit. 11. num. 38. Gregor. leg. 1. tit. 1. par. 1. verbo se casu con. ella. Gutierr. in repetit. §. sui. num. 168. insti. de heredum qualitat. & differ. & de matr. cap. 118. num. 2. Thom. Sanch. lib. 7. disput. 105. num. 4. & seqq. Et probat Textus in cap. tanta, qui filij sint legit. vbi hæc vis legitima di prolem conceditur matrimonio vero, quale hoc esse necessario concedendum est. Hæc autem legitimatio vt potè vera, & absoluta vim habet excludendi substitutionem vocatum sub conditione, si infirmitas absque liberis legitimis decesserit, quando non probatur animo fraudandi substitutionem matrimonium contractum esse, vt aduersus Angelum in leg. nuper. n. 3. Cod. de natur. liberis. affirmat plures referens Gutierr. in repet. §. sui. n. 169. insti. de heredum qualitat. & differ. & de matr. cap. 118. num. 3. Sanch. lib. 7. disp. 105. num. 7. & 8. At si animo fraudandi

- dandi, seu excludendi substitutum probatum fuerit matrimonium esse contractum in articulo mortis, estd legitimatio teneat; commun orque sententia doceat non esse excludendum substitutum, vt constat ex his quæ referunt Gutier. & Sanchez locis allegat. ac fati probabile est, & forte verius substitutum excludat. Quippe nequit dici fraudem committere aduersus substitutum, qui iure suo vitur, facitque actum honestum, & à iure sibi permissum. Præterea iniqua intentio patris contrahentis matrimonium non debet priuare filium hereditate ob legitimationem sibi proueniente, cum verus legitimus sit, eamque hereditatem non à patre, sed ab instituente accipiat, vti docuit Sarmiento libro 1. selectar. cap. 6. numero 8. Menchaca libro 3. controuerf. vsu frequent. capite 4. numero 5. Ioannes Garcia de nobilit. gloss. 2. i. numero 59. & in tract. de hypotheca post contractum. num. 14. Spino in speculo testament. glossa 15. in princ. numero 106. Molin. tom. 1. tractatu 2. disp. 172. ad finem. Sanchez libro 7. disputatio. 105. numero 10.
- 8 Verum si impotentia non sit perpetua, sed temporalis impedimentum non præstat matrimonio contrahendo, vti tradit D. Thom. ferè ab omnibus receptus in 4. dist. 34. quest. vn. art. 2. in corp. Petrus de Ledefm. quest. 58. art. 1. in difficult. princip. paulo ante solutionem argumenti Rodrig. 1. tom. summ. capite 235. numero 1. Sanchez disp. 92. numero 4. Gutier. de matr. cap. 112. numero 3. Coninch. disp. 31. dub. 7. numero 78. Paul. Layman lib. 5. summ. tract. 10. par. 4. capite 11. numero 5. & 2. & alij apud ipsos. Quippe impotens pro aliquo tempore, & non in perpetuum absolute potens est, potest ergo absolute obligari ad copulam habendam.
- 9 Si rament ea impotentia temporalis diu duratura sit, illius concitus matrimonium contrahens peccabit mortaliter, si alteri coniugi suam impotentiam non manifestet ob grauem deceptionem, & iniuriam, quam illi irrogat vsu coniugali priuans, quem ipse putabat expeditum habere, vt bene probat Sanch. lib. 7. disp. 92. numero 5. Gutier. de matr. cap. 112. num. 4.
- 10 Quod si impotentia siue temporalis, siue absoluta matrimonio iam contracto superueniat, nullatenus illud dissolueri potest, tamen consummatum non sit, quia matrimonium ratum solâ professione Religionis soluitur, vt contra Gratianum, & alios ex communi sententia docet Sanchez disp. 102. à numero 3. Gutier. de matr. cap. 116. num. 1. Et probat Textus in capite si quis 32. quest. 7. Et in cap. si uxorem. 32. quest. 5. Quibus non obstat can. quod proposuisti, eadem causa. & q. Et cap. ex litteris de Frigidis, & maleficiis. vbi ob impotentiam conceditur licentia transeundi ad aliud matrimonium, quia intelligi debet de impotentia matrimonium antecedente, non subsequente.
- Difficultas est, qualiter hæc impotentia superueniens matrimonij vsu impediat?
- 11 Cui difficultati dicendum, si superueniat impotentia verum semen effundendi, vt quia vir post matrimonium vtroque testiculo orbatum, non impedit debiti petitionem, & redditionem, vt bene docuit Toler. lib. 7. sum. capite 12. numero 4. quia per accidens contingit non posse veram copulam coniugalem habere, verumque semen effundere. At si impotentia sit seminandi intra vas ob imbecillitatem viri, vel feminæ arduum, aliãve causam non prohibet his coniugibus tactus, oscula, & amplexus absque pollutionis periculo, vti docent omnes. Imò nec copulam coniugalem, dum certi non sunt semen esse extra vas effundendum. Quare quorones spes aliqua subest intra vas seminandi, toties poterunt ad copulam conari, tamen videant sæpè extra vas semen effundi, siquidem procurant rem licitam, scilicet copulam coniugalem, quam sibi esse possibilem credunt: vti colligitur ex cap. laudabilem de Frigidis, & maleficiis. vbi triennium conceditur ad inuestigandam potentiam. Sic Sanch. lib. 9. disp. 17. numero 20. Nauarr. cap. 23. num. 60. & in cap. consideret. de poenitent. disp. 5. num. 48. Henric. lib. 1. cap. 15. num. 4. Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 11. num. 4.
- 12 Quod si impotentia superueniens non sit copulæ, sed generationis, eo quòd mulieri conser fetus semper mortuos parere, aut se manifesto vitæ periculo exponi si concipiat, ex Medicorum iudicio non videtur obligata reddere; quia nemo tenetur debitum alteri soluere cum tam graui sui, proliue detrimento. At petere, & reddere ei licet, quia ob vitandum incontinentiæ, & salutis animæ periculum iuste periculum corporis sustinere potest, maxime cum hoc periculum non sit ita certum; non enim certum est prolem ex copula esse suscipiendam, & casu quo suscipiatur esse in partu periculaturam: vt bene Sanch. lib. 7. disp. 104. num. 8. & 11. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 87.

## §. III.

## An impotentia respectiua impedimentum sit matrimonij contrahendi?

- 1 Impotentia respectiua est comparatione huius, & non alterius.
- 2 Impotentia respectiua si perpetua sit dirimit matrimonium contrahendum.
- 3 Qualiter cognoscatur hæc impotentiam non à natura, sed à maleficio prouenire?
- 4 Quomodo aliqui consentant ex maleficio oriri non posse impotentiam perpetuam. Verius est oppositum.
- 5 In dubio, An ex maleficio nascatur impotentia perpetua, vel temporalis, triennio coniuges copulæ carnali vacare debent?

Impotentiam respectiuam appellamus, ob quam coniux impotens est ad congressum cum hac femina, vel quia virgo est, vel quia est nimis arcta, vel quia ab extrinseco ob maleficiam impeditur, idcirco est duplex impotentia, alia naturalis, seu à natura proueniens, alia artificialis, seu ab extrinseco emanans.

Quocumque ex his modis detur impotentia modò perpetua sit, hoc est quæ absque peccato, vel graui corporis periculo tolli nequit impedimentum est matrimonij contrahendi, vti late docet Sanch. lib. 7. disp. 93. à nem. 2. Gutier. cap. 112. num. 39. & 20. & cap. 113. à num. 1. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 61. per totum. Coninch. disp. 31. dub. 7. à numero 77. Paul. Layman, lib. 5. summa tract. 10. par. 4. capite 11. à numero 3. Et de impedimento à natura proueniente est ferè expressus Textus in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiis. Et de impedimento maleficij probat Textus finalis 33. quest. 1. & de frigidis, & maleficiis. Et ratione euidenter conuincitur. Nam per matrimonium euidenter conuincitur. Nam per matrimonium coniuges sibi inuicem obligantur, vt via caro fiant, quam obligationem subire nequeunt, si copula illis sit impossibilis, tamen cum aliis possibilis sit.

Cognoscitur autem hæc impotentiam non à natura, sed à maleficio prouenire ex parte viri, si sentiat aliquando genitalium organum inflari, & erigi nocte, vel in vigilia polui, & cum vult feminæ accedere subito laxari, & concitissimè frigidus enim nullo ex his motibus agitur, nec dum appetitum veneris sentit. Ex parte feminæ indicium est prouenire impotentiam ex maleficio, si nimis horreat vnum sibi copulari volentem, nullaque via pettrahi possit ad accessum, cum tamen circa alios moueatur, & excitetur, vel comparatione viri nimis arcta reddatur, cum tamen competum sit aliis similibus non reddi.

Sed non desunt Doctores, qui sentiant ex maleficio oriri non posse impotentiam perpetuam, quia nullum est maleficiam, quod tolli non possit, vel Ecclesiæ exorcismis, vel saltem ab Authore maleficij, vel ab alio maleficio. Ergo nulla est ex maleficio impotentia perpetua, siquidem humana industria cessare posse sic docuit Glossa in cap. finalis 33. q. 1. & in cap. fraternitatis de Frigidis, & maleficiis. Innocent. in 4. laudabilem. s. eodem. tit.

Sed contraria sententia scilicet posse dari impotentiam perpetuam prouenientem ex maleficio verissima est, vti docuit D. Thom. in 4. d. 34. quest. vnica art. 3. in corpore, quem ferè omnes sequuntur teste Sanch. disput. 94. à num. 8. Gutier. de matrim. cap. 113. à num. 1. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 65. num. 6. colligiturque expressè ex cap. fin. 33. quest. 1. quod esto si cuiusdam Archiepiscopi, vsu, & consuetudine Ecclesiæ approbatum est, vti censent Doctores in cap. fin. de Frigidis & maleficiis. per Textum ibi, & probatur ex leg. 5. regia, & fin. tit. 8. par. 4. Et ratione conuincitur, nam experientia teste reddi coniux potest ex maleficio sic impotens ad copulam, si frigidus à natura esset, quia maleficio destructa est generatiua potentia, neque humana industria reparari potest. Quod si impotentia non sit destructa, sed solum maleficio ligata, & impedita, contingere potest, vt hoc ligamen, & impedimentum tolli nequeat, ordinariis Ecclesiæ exorcismis aliòve medio licito. Nam esto Author maleficij, & quicumque alius signa malefica remouere possit animo destruenti pactum cum demone iustum, forit Author maleficij mortuus est, nec reperitur alius qui hæc signa remouere sciat. Ergo eo casu censenda est impotentia perpetua.

In dubio, An ex maleficio nascatur impotentia perpetua, vel temporalis, triennio coniuges copulæ carnali vacare debent, quam si perficere non poterint, declarandum est ad esse perpetuam impotentiam, ex Textu in cap. fin. de frigidis, & maleficiis. & tradit ex communi Sanch. lib. 7. disp. 94. num. 11. Gutier. in 13. num. 7.